



Universitätsbibliothek Paderborn

Instructio practica ...

Institutiones Qvintvplicis Theologiæ - Positivæ videlicet, Asceticæ,
Polemicæ, Speculativæ, & Moralis complectens, Unà cum Appendice
Methodum compendiarum reformationis Ecclesiasticæ à Concilio
Tridentino factæ continente

Lohner, Tobias

Dilingæ, 1679

§. 13. Principium 13. Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs
interpretario est facienda.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48233](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48233)

lo in quadragesima lacticiis vesci, eò quòd lex jejuniis illa non sit aliter recepta, uti Laym. l. 4. tr. 8. c. 1. n. 5. & alii communiter docent.

Deducitur 2. Si alicubi receptum sit, ut Mulieres tempore luctûs, vel etiam post partum domo non egrediantur, eò sufficienter à Sacro die Festo audiendo excusari, uti Silv. Cajet. Fill. apud & cum Busenbaum l. 3. tr. 3. c. 1. du. 5. resol. 6. sentiunt.

Deducitur 3. Verba cujuscunque dispositionis proprie intelligenda esse; & secundum usum communem loquentis, uti ex le. non aliter 3. ff. de legat. & le. 3. librorum ff. de leg. communiter colligunt Doctores. Hinc natum est aliud axioma, quo dicitur: *Vulgaris appellatio pro lege habetur*, ut et Gonzales refert P. Gobat tr. 9. n. 708.

§. XIII.

PRINCIPIUM XIII.

Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, interpretatio est facienda.

Sensus.

Hoc est, quando aut legislator legem proponit, aut alius quispiam cum alio contractum init, & ambiguus aut obscuris verbis utitur, tunc ita explicanda sunt verba illa, ut potius in favorem illius, qui legem accipit, aut ambigua verba non posuit, cedat dispositio, modò Jura in speciali aliquo casu non obstant (uti fit in lege inter stipulantem 83. §. 1. ff. de verb. oblig. & le. de die 8. in principio ff. qui satisdare cogentur) aut de valore actus non agatur.

Authoritas.

Desumptum est ex le. 6. decret. cap. ult. reg. 57. Item ex le. 132. ff. de reg. Juris, illudque referunt, & explicant Casif. Dynus & Decius item Barbof. axiom. 136. n. 5. & 6.

Ratio.

Quia in tali casu libertas illius, qui verba ambigua non protulit, est in possessione; alter verò sibi merito impetrat quòd apertius mentem suam, cum potuerit, non explicet.

Praxis.

Hinc deducitur 1. in contrahenda venditione ambiguum pactum contra venditorem esse interpretandum, uti in l. 1. ff. de reg. Juris deciditur.

Deducitur 2. Contra eum, qui in probationibus dubio sine sermone, interpretationem esse faciendam, uti ex cap. per quas, 10. de probat. colligitur.

Deducitur 3. Eum, qui juraverit, plenam & meram in iudicio veritatem dicere, non admitti ad expositionem verborum ambiguum, quibus ad interrogata respondit, sed contra ipsum ea explicari, uti in cap. cum dilecti 18. de accusat. deciditur.

§. XIV.

PRINCIPIUM XIV.

Auxilium legis frustra invocatur, qui committit in legem.

Sensus.

Hoc est, qui ex actu aliquo contra legem deliberatè perpetrato damnum aut injuriam passus est, non potest perire iudicem, ut dicti damni reparationem à Damnificatore fieri mereatur.

Authoritas.

Desumptum est ex Cap. quia frustra 14. de usuris. Item de le. auxilium 37. §. in delictis ff. de minoribus; illudque citatur, & approbat Barbofa axiom. 136. cum aliis.

Ratio.

Quia, cum leges debeant sui executionem urgere, atque modo punire Transgressores, non est conveniens, ut patrocinentur iis, qui temerè contra eas agere sunt ausi.

Praxis.

Hinc deducitur 1. Usurarium repetentem usuras audiri non debere, nisi prius receptas restituat, uti in cit. cap. Quia testatum est.

Deducitur 2. Clericum, qui ut Laicus incedit, & tertio monitus